Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ Orthodoxorum Medicorum Patrono. (1684)

QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis Diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Jovis 22. Martii 1685.

M. JOANNE HAMON, Doctore Medico, Præſide.

An ut reliqui potus, ſic & aquæ modus aliquis eſſe debet?

HOMO ſimul natus eget. Egeſtatis ratio, corpus varium & mutabile. Mutationem affert perpetuum effluvium. Reſarcitur cibo & potu. Utrumque recens nato lac præſtat. Id ſtomacho exceptum & ſubactum tranſit in naturam ſanguinis, nullâ ſimilitudine relictâ. Diſſimilitudinem facit τὸ ἐξ ventriculi, quod integrum pulchre agit, vitioſum inquinat & prima morborum labes evadit. Homo grandior, & ſolidiori cibo & potu diſtincto indigere voluit, quamvis lac ſatis fuiſſet uſui & ſalubritati. Cibus ſine arte apparatus, & ſolius calore ſolis excoctus, fructus. Potus obvius & εὐπόριστος, aqua. Utroque uſi primi homines. Ex quo cœpit genus humanum expoliri, cœpit & voluptatis artes invenire. Hinc intemperantiæ ſolertiâ, & gulæ delicatioris ſtudio, potus ſibi comparavere jucundiores, omnium bonitatem utilitate metientes. Ex vite vinum expreſſerunt, liquorem omnium optimum; aquo habent, ut non ſitientes bibant. Deſideratâ vite, potionem è frugibus, fructibus, herbis, radicibus, melle, & ſaccharo antiquis haud ignoto, ſibi fecerunt, ζυμώσει & velut quâdam putredine adornantes. Cerevisia, pomatium, hydromel potionum à vino excellentiſſimæ. Ad has omnes impellit & guſtus voluptas, & gratior totius corporis affectio, cujus utriuſque auctor, ſpiritus fervens, qui ab iis educitur.

BIBENDI neceſſitas, quandoque major, quandoque minor, pro majori aut minori corporis jacturâ, quam aer, exercitatio, animi motus ſolet afferre. Ideo potionis μέτρον, αἴσθησις. Hæc quodammodo circumſcribitur conſideratâ ἰδιωτῶν vivendi ratione, quibus ex uſu & commoditate, æque compertum eſt, vini heminam per diem homini ſufficere, ad renovandum vigorem, ac, quod excedit, eſſe conſuetudinis aut voluptatis, non neceſſitatis. Vinum minori copiâ, alii liquores majori, prout recedunt à vini dignitate, inebriant. Ebrietas à ſpirituum abundantiâ, & vaporum caput occupantium. Inde à ratione defectio, oculorum collachrymatio, & corporis titubatio, inertia, & in ſomnum horum malorum medelam, propenſio. Ἐφέψημα herbæ Thé, Sinarum & Japonum deliciæ; confectus potus è fabâ Caffé Aſiaticorum ſuavium; dulcicula miſtura Chocolatæ colliquefacta in potione, Mexicanorum voluptas, licet præſentem aut imminentem ebrietatem arceant, cum modo tamen debent hauriri; ne, ſi ſecus fiat, hilaritatem & moleſtiæ oblivionem adducentes, quod ſemper præſtant; unâ dormiendi impotentiam afferant, quod non raro in iis qui frequentius, & fere ſemper in iis qui inſolentius utuntur, faciunt.

AQUA rei omnis viventis potus, omnia per omnia connutrit. Non eſt corpus ſimplex ſed, compoſitum. Deſtillata & iterum deſtillata in laminas abit tenues: ferrum rodit: è cupro æruginem accipit: adeo ut ſal acidum illi ineſſe confitendum ſit. Lignea vaſa, aeri impervia, permeans, aera vincit tenuitate. In nullo non fere corpore comparet; in erutis tamen nulla eſt, niſi admodum paucis. Hinc chymicæ opinionis inanitas, quæ fert, etiam ex auro aquam elici. Ex eâ plantæ quæ κυκλοφορητικῶς nutriuntur, creſcunt & concreſcunt, nec non & pingueſcunt piſces. In terrâ macrâ & velut mortuâ, ſi modo aqua affundatur pura, ſalix legitimam acquirit molem, manente terræ eodem fere pondere. Menta in aqueo vaſculo & radices agit & folia profundit. Qui ludit in aquâ piſcis uſque perſeverat nullo aliunde ſubminiſtrato alimento. Pinnis conſiſtit tantum, veſiculâ aere plenâ, quam muſculi modo arctant, modo dilatant, deorſum tendit, aut ſurſum evehitur, caudâ celeri, ut remo, motum promovente & accelerante. Aquatili pecori ſpiritus ab aquâ. Hæc mutationis capax varias ſuſtinet formas & figuras, virtute caloris innati qui à totius compage non diſtinguitur.

UTILITAS aquæ, ut diſſolvat cibum, qui fluidior ſecedit per anguſtos vaſorum tubulos; ut iners alimentum acceleret, ſpiſſum ſolvat, acre obtundat, ſalſum mitiget; ut ſeroſam colluviem tranſvehat per renes, qui tamen nimio labore flacceſcunt. Ut enim aqua uſque fluens ſaxa reddit lævia, ſic largius pota, lævitatem affert partibus. Quemadmodum aqua bona vel mala, fœtus eſt loci ſalubris aut inſalubris, ſic aqua optima, ad uſûs menſuram, ſanitatem; vitioſa etſi pauca, morbos, parit. Bibulas glandulas ſubiens, ſcirrhum, febrim quartanam, hydropis omne genus, diarrhœam, dyſenteriam, meiendi difficultatem, calculum, bronchocelem, inteſtini prolapſum, tabem producit, vitiato ſanguine, & partibus contaminatis. Debet eſſe limpida, levis, ſuavis; dotes, quibus locupletatur à motu ſuo æquabili, & ſolis illuſtri virtute. Non omnino bona, quæ per arenas erumpit; arenarum quippe ſal ſibi adjungit meliorem aquæ partem. Pluvialis ſpiritu & ſale fœta, ſatis potius quàm animantibus commoda. Aquæ beneficium, guſtum à præjudicatâ opinione integrum ſervat, firmat viſcera, humores continet, & ſi quæ fuligo proſpectum eripiat oculis, illicò diſſipat. Quinetiam prodeſt glacie algida ad amovendos graviores morbos, ut comprobatum in Indiâ, Hiſpaniâ, Provinciâ, quia vetat ſalſi ſeri conceptum calorem.

UT ergo vini, cereviſiæ, pomatii, hydromelitos, & reliqui potus certa eſt menſura, ſic & aquæ. Vinum ſenum ſpes, mœrentium ſolatium, pauperum divitiæ, ἀπραγμόνων occupatio, intemperantius viventium Deus, minori mole ſufficeret, ſi non prohiberet hominum intemperies. Una vini hemina, duabus circiter heminis cereviſiæ æquatur. Liquores ſpiritûs pleni, hauſti liberalius, mala accerſunt bene multa, maximè renum impedimenta & articulorum. Aquæ menſuram corporis indoles definit. Satisfaciendum pro ſenſu, cui tamen non ita fidendum quin dijudicet ratio, ne à fallaci ſenſu, error. In bilem & ſuccum melancholicum decedens aqua nimia, ſitientem bilioſum & melancholicum offendit, labefactato ſtomacho, & liene aucto. Aſcite laboranti & aquam avide expetenti, guttulæ aliquot ſunt concedendæ, quia fugitivum ſolatium auctâ morbi causâ, urgenteque ſuffocationis periculo, celeris pœnitentia licet ſera & plerumque inutilis ſequitur. Aqua commorans πλημμυρίδα facit, quæ diluens ſuccum diſſolvendo cibo deſtinatum, ventriculum inertem & impotentem facit. Eadem ſi abſque morâ exiliat, humiditatem corpori utilem prædatur, ſiccat corpus, calorem auget, ſitim ἐπιπικραίνει non ſedat. Hinc illa φιλαδυναμῶσθαι. Ideo morborum acutorum vis elevatur non aquâ multâ, ſed potu ἀπὸ χλοῆς, ex hordeo, tritico, myrto, punico, vino εὐόδμῳ ſi caput vacet dolore, ἀόδμῳ ſi aliqua ſit offenſio, aquâ tantum identidem permiſsâ.

Ergo ut reliqui potus, ſic & aquæ modus aliquis eſſe debet.



Proponebat NICOLAUS BRUNEL DE LA CARLIERE, Lexovienſis Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1685.